


Disputatio Theologica Textualis Ex Zach. VI. v. 12. 13.


**Pars Altera : De Triplici Messiæ Corona Ac Throno Triplici, Sive de Triplici  
Messiæ Officio Mediatorio : Sectio Prima De Officio Messiæ Prophetico Et  
Ædificatione Templi Spiritualis**

Bernæ: Ex Officina Typographica Illustris. Reipubl. Bernensis. Per Andream Hügenetum, 1703

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875156754>

Band (Druck) Freier  Zugang





45.

~~47.2.4.~~

49. el. 4.

Ja-1092 (45.)

1. Jeron. Friedr. Reich de usu experientiae spiritualis in scriptura  
rum interpretatione. Lipsi. 1705.
2. Seb. Schmidius de antiquissima fide mystica circa mysterium  
S. S. Trinitatis. ad Gen. 1. d. reimp. Mittel.
3. Christo. Longaeus de sanctiore consubiali Paradisiaca ad Gen.  
11. 24. Acton. 1699.
4. Jo. Geor. Zurbarian historia lapsus ad Gen. 11. 1-6. Jen 1734.
5. Jo. Edoard. Nemegerius de femine mulieris caput serpentis con-  
tributo Helms. 1703. ad Gen. 11. v. 14. 15.
6. Abrah. Calovius de inimicitia inter serpentem et mulierem  
ad Gen. 11. 15. Mittel. 1662. reimp. ib. 1697.
7. Jo. Vloar. Preferendarius de Paradiso igne deleta ad Gen. 11. 24.  
Acton. 1735.
8. Geor. Seb. Hambergerus de Inde diluuii ad Gen. 1. 10. 11.  
Jen 1696. reimp. ib. 1706.
9. Heel. Gottfr. Majus de opere Loti et statu fidei conjugii  
reimp. Hafs. 1720.
10. Christo. Wallius de singulari facto ac fato uxoris Loti ad Gen. 19.  
26. Lips. 1790.
11. Gott. Friedr. Jenichen de lapide facchi uncto ad Gen. XXVIII,  
10. Lips. 1791.
12. Jo. Reisk. Rufus de 11 1/2 v. Mesia ad Gen. XLIX. 10. Jen 1719.  
reimp. Mittel. 1794.
13. Jo. Trifschmuthus de circumfione Zippore ad Exod. 11. 24. 25.  
26. Jen 1663.
14. Pen de judaio inter duas vespereas suatando paschali agno  
ad Exod. XII. 3. Jen 1660.
15. An. Friedr. Neubauerus de angelo mortis ad Exod. XII. 29. Num. XVI. 14.  
Hab. 11. 14. Job. III. 8. Apocalyp. 6. 11. Hal. 1792.


16. Conr. Ikenius de Marah ad Exod XXI, 22-25. Bremen 1792.
17. Geor. Christo. Kellwagius de Maana Christi tyjo. Jen 1795.
18. Franc. Wokanius de sermone elliptico in historia Israelis non  
obvio Wittenb 1790.
19. Jo. Jac. Quandt exanad. inbrauerianum de sacerdotio Melchi,  
Jedevans. reguf. 1795.
20. Jo. Geor. Michaelis de incisura propter mortuos ad Lev. XIX, 20.  
XXI, 5. Deubr. XIV, 1. Lipsi 1799.
21. Christian. Secouici de spiritu Moysi in XXI seniores posito  
ad Num XI, 16. 25. Lips 1794.
22. Friedr. Guell. Breslingius de ritibus veterum Hebraeorum circa  
inulam de colubam. Lips 1696. ad Lev. XXI, 17-19
23. Jo. Geor. Abrechtius de respiciendis duobus versibus sup XXI in  
quibusdam codicibus <sup>rebrnari</sup> omisfis Lips 1714.
24. Franc. Henr. Gebhardt de mapilla sinforata et corpore Adam  
Lund. Gryphico. 1707.
25. Jo. Christo. Erlobius de Samuele Propheta et Jndice  
non Pontifice aut Sacerdote sacrificante ad 1 Sam VIII, 9.  
Lips 1714. a.
26. Jo. Gott. Carpponius de pluralitate personarum in una  
esentia ad 2 Sam VIII, 24. Lips 1720. 4.
27. Jo. Christi. Kingsbeckius de Ammonitis a Davide absque crudeli-  
tate sub jugum missis ad 2 Sam XII, 31. 1. ebrn XX, 9. Lips 1751.
28. Jo. Crausius de Suroth Benoth ad 2 Reg. XV, 11, 20. Jen 1664.
29. Sim. Bened. Sympie verba Davidis ultima ad 2 Sam XXIII, 1  
-7. Lips. 1721. . .
30. Jo. Nicol. Quihorpius de novissimis Davidis verbis ad 2 Sam  
XXIII, 21-7. Rostoch 1700. *non M. H.*

31. Jo. Lam. Estherius de 750 ad Pf. 11. 17. Lips 1724.
32. Jo. Cos. Schramm de precibus Christi contra maleficos ad Pf. 11. 17. H. d. 1720.
33. Christi. Schöttgenius de emphasi verbi 50031 ad Pf. 11. 9. Lips 1712.
34. Inman. Ers. Ahn de expiatione per baptismum facta ad Pf. 11. 9. Lips 1725.
35. Christi. Weis de Samuele ad Jehovan clamante ad Pf. 11. 6. Lips 1715.
36. Jo. Bened. Caoporius de vocatione Messiae ad sacerdotium ad Pf. 11. 4. Lips 1764.
37. Salom. Dejlingius de praese Jehovae dominus ad Pf. 11. 2. Lips 1723.
38. et 39. Gotth. Friedr. Gudius de sensu orandi Colos. 1. 7. Lips 1723. et 1724.
40. Jo. Lidacke de homine in cuius naso est spiritus ad Job. 11. 22. Lips 1720.
41. Anuaritius Cassens de אִשְׁרָיִם הַיְהוּדִים קְבוּרָתָם ad Jerem. 23. 19. Lips 1716.
42. Casp. Löschens de Τεκνογονία divina ad Jerem. 23. 19. Mikal 1701.
43. Præm de Μεταφοραβει regis Nabucadnezaris ad Dan. 1. 2. Mikal 1701.
44. Petr. Brinchius de lxx hebdomadibus Danielis Safa. 1702.
45. Jo. Geor. Dorscheus de lxx hebdomadibus Danielis ad Dan. 1. 2. Arg. 1691.
46. Hegius Strachius de computo sacro lxx hebdomadum Danielis Mikal 1697.
47. Herm. Christo. Engelkenius de luce in tenebris faciente ad Hof. 13. 9. Lips 1709.
48. Gotth. Olearius de redemptione ex inferno et liberatione a morte ad Hof. 13. 14. Lips 1701. recens. ib. 1707.
49. Jo. Christi. Hebenstreitius de oculis regis Edom combustis ad Amos. 11. 1. Lips 1713. 4.
50. Jo. Frischmuthus de Harmonia Mich. 1. et Matth. 11. 6. Jen 1662.
51. Præm de nativitate Messiae ap. Mich. 1. 1. Jen 1661.
52. Lam. Leomanni de duplici Messiae oratione egresu ad Mich. 1. 1. Bern. 1702.

53. Ab. zum Felde de uctu imaginum anti christians ad Hab. 11. 10. 19.  
Kilon.
54. Christi. Friedr. Milichius de precibus angelorum pro nobis ad Zach. 4.  
12. Lips. 1729.
55. Sam. Leemannus de psychopograpia Mesiae ad Zach. 11. 12. 13. Ann.  
1702.
56. Prand de triplici coronâ Mesiae et Triplici Bern 1703.







עטרות וכסאות המשיח

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ TEXTUALIS

*Ex Zachar. VI, v. 12, 13.*

PARS ALTERA

De

TRIPLICI MESSIÆ CORONA  
AC THRONO TRIPLICI,

*Sive de*

TRIPLICI MESSIÆ OFFICIO  
MEDIATORIO.

*Sectio Prima*

De

OFFICIO MESSIÆ PROPHETICO

Et

*Ædificatione Templi Spiritualis.*

*Quam*

Favente Deo Triuno

*Præside*

DN. SAMUELE LEEMANNO

V. D. M. SS. Theol. in Athen. Bern. Professore

Solidissimo p. t. Rectore Magnifico

*Publica disquisitioni subijcit*

JOH. JACOBUS EYEN. Helv. Bernas,

SS. Theol. Stud.

*Ad diem*

*Augusti horâ locoque solito.*



B E R N Æ.

Ex Officina Typographica Illustris. Reipubl. Bernensis.

*Per Andream Hügenetum, 1703.*



*Viris Amplissimis, Consultissimis, insignis eruditionis  
ac pietatis fama Clarissimis*

DN. Præsidi, cæterisque Augusti Senatûs Accademi-  
ci Bernensis Assessoribus dignissimis, Dn. Mœcenatibus ac  
Promotoribus suis nunquam non submissè colendis.

*Quin etiam*

DN. SIGISMUNDO REGI, Med. Doct. Ci-  
vitatîs Bern. Archiatro Meritissimo. Nosocomij Insulani  
olim Curatori ac Inspectori æquissimo, Affini suo singu-  
lari affectu perpetim amando, honorando.

DN. EMANUELI BONDELINO, Primo  
Satrapia Albonensis Præsecto Dignissimo, olim Eloquen-  
tiæ ac Philosophiæ Professore subtilissimo, Mœcenati suo  
atque Fautori ad cineres usque colendo.

DN. CHRISTOPHORO à GRAFFENRIED,  
Præsecturâ Ebrodunensi felicissimè defungenti, Patrono  
suo æviternum venerando, amando.

DN. RODOLPHO WYSSIO. Ducentûm  
Viro fidelissimo, Sororio suo jugi amore ac honore pro-  
sequendo, colendo.

*Hancce Dissertationem in debita observantia & grati-  
tudinis τεμπήριον D. D. D.*

JOH. JACOBUS EYENUS.



עשרות וכסאות המשיח  
DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ TEXTUALIS

*Ex Zachar. VI. v. 12. 13.*

PARS ALTERA

*De*

TRIPLICI MESSIÆ CO-  
RONA AC THRONO TRIPLICI

*Sive de*

TRIPLICI MESSIÆ OFFI-  
CIO MEDIATORIO.

*Sectio Prima*

*De*

OFFICIO MESSIÆ PROPHETICO

*&*

*Ædificatione Templi Spiritualis.*

*§. I.*



*Triplici coronâ . coronâ nempè Legis, co-  
ronâ Regis & coronâ Pontificis Deum  
olim ornasse Israëlẽm suum pronun-  
tiant Hebræorum Magistri, eamque ex  
triplici coronâ jussu Dei in extruendo ta-  
bernaculo adornata concludunt : ex*

*A*

*co*

eo enim, quòd aureà olim coronà Arcam fœderis cingi  
jussit Deus Exod. 25: v. 11. Coronam Legis deducunt: ex  
eo autem, quòd mensam sacram coronà redimiri jussit  
aureà, Exod. 25: 24. Coronam Regis concludunt: sed ex eo  
denique quòd altare Dupuduat & coronà quoque insigni-  
ri voluit Deus Exod. 30: 3. Coronam etiam Pontificis efflo-  
rescere pertendunt. Hanc triplicem Coronam, quam Israe-  
li olim impositam fuisse docent Judæi, nos meliori jure  
futuro Messiaë imponendam & reapse impositam fuisse  
pertendimus. Illas quidem in interiore tabernaculi ady-  
to Dei jussu olim adornatas solis sacerdotibus oculis  
usurpare suis fas erat: sed remoto jam templi aulæo om-  
nibus jam verè fidelibus Messiam triplici coronà redi-  
mitum ac triplici throno insidentem conspiciere licet,  
summum nempe Prophetam, Sacerdotem & Regem no-  
strum, talemque eum futurum non tantùm illustres illi  
Veteris Tabernaculi typi docuerunt, sed expressissima  
quoque Veterum Prophetarum oracula id ipsum prædi-  
xerunt.

§. II.

Duplicis ejusmodi Corona Sacerdotalis & Regia ex-  
pressissimam mentionem fecit Propheta Zacharias Cap.  
VI. in oraculo illo, cujus explicationem in præced. Dissertatione  
aggressi sumus, easque egregio typo in emble-  
mate illo duarum Coronarum capiti Jehosuaë summi sa-  
cerdotis imponendarum repræsentatas fuisse ostendit:  
Coronam autem Propheticam satis innuit idem Propheta  
Messiaë quoque imponendam, quando ab eo tanquam à  
summo Propheta per prædicationem Evangelii Templum  
Jehova edificandum h. e. Ecclesiam Dei longè lateque dif-  
fundendam ostendit, & ita Messiaë non tantùm quàm Regis  
& quàm Sacerdoti Solium attribuit, sed eidem quoque Ca-  
thedram

*thedram Prophetica* Mosaica multò illustriorem assignar.  
Adde quòd *Corona* nomine ipsum quoque docendi mu-  
nus designari videatur, Apoc. 3: 11. & 12. v. 7.

§. III.

Versum 12. Differratio præcedens explicatum ex-  
hibuit: In versu 13. Propheta

I. De functione gloriosa *triplicis officii Messia* vati-  
cinatur, & quidem

א. De officio *Messia Prophetico* in his verbis: והוא יבנה  
את היכל יהוה & ipse *ædificabit templum Jehova*: quamvis  
enim verba hæc ad gloriosam quoque officii regii functio-  
nem referri queant, quia tamen hic sermo est de ædifi-  
catione *templi Spiritualis* h. e. *Ecclesiæ*, quam *Messias*  
ædificaturus erat per prædicationem *Evangelii*, officium  
ejus *Propheticum* præcipuè hîc designari videtur: quod  
olim etiam in *templo* adumbratum fuit per *thronum gra-  
tia ac propitiatorium*, ex quo *Deus* oracula & responsa sua  
dedit *Ecclesiæ* Exod. 25: 22.

ב. De Officio ejus *Regio* & gloriosa hujus officii fun-  
ctione: quòd *luterpretes* referunt verba: והוא ישא הוד וישב  
על כסאו & ipse *reporaturus est decorem & sessurus ac  
dominaturus in solio suo*, ubi iterum observari potest

א. Officii Regii *Gloria* ac *Majestas*: והוא ישא הוד

ב. Ejus *functio* expressa 1. per *Sessionem* in voce וישב

2. Per *dominationem* in voce ומשל

ג. Ejus *insigne* designatum per כסא *thronum* sive  
*folium*.

ד. De Officio *Sacerdotali*, cum ait: והיה כהן על כסאו  
eritque *sacerdos in solio suo*, ubi *mysterio* non caret, quòd  
*sacerdoti folium* tribuitur: eandem nempe ob causam, ob  
quam *Messia* *sacerdoti* imponenda fuit *Corona*.

II. Fontem & Originem *triplicis hujus officii* ostendit

in *Consilio* Pacis, quod in glorioſa illa triplicis hujus offici functione manifeſtandum docet Propheta: ita nempe

α. Nominat illud עצת שלום *Consilium pacis*.

β. Indicat *partes contrahentes*, ſive quos inter conſilium iſtud initum ſit: בין שניהם h. e. *inter utrumque*, Patrem & Filium, Jehovah & Virum - Germen.

γ. Conſilium iſtud tanquam *futurum* deſcribit תחיה erit ſine dubio, quia futuram ejus *manifeſtationem* reſpicit, cum aliàs Conſilium iſtud ab æterno initum fuiſſe conſtet.

#### §. IV.

Officio *Prophético* functurus erat Meſſias modo glorioſo & illuſtri, quia *adificaturus erat templum Jehova* myſticum: Architectus hujus ædificii futurus erat איש צמח שמו *Vir ille Germen*, de quo verſ. præc. Hic idem eſt והוא de quo jam loquitur: In hac vocula הוא magna sæpè eſt emphasiſ, magnum momentum. Obſervant Magiſtri, הוא de inſignibus peccatoribus in Scriptura uſurpari, ut de *Nimrod* Gen. 10: v. 9. de *Eſavo* Gen. 36: 43. de *Dathan & Abiram* Num. 26: 9. de *Achabo* 2. Chron. 28: v. 20. Sed hîc emphaticè admodum ſumitur pronomen הוא & in eodem ſenſu bis repetitur ad ſignificandum iplum *Meſſiam*, qualis emphasiſ & alibi occurrit, ut *Eſa.* 53: 4. *verè languores noſtros* הוא ipſe tulit, & v. 5. והוא & ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & v. 7. והוא & ipſe afflictus eſt, & v. 11. *iniquitates ipſorum* הוא ipſe *baſulabit*, & v. 12. והוא & ipſe peccata multorum pertulit. Vide etiam *Pſ* 115: v. 8. 9. 10. 11. & ita sæpè vel ipſe *Deus* vel ipſe *Dei filius Meſſias* pronomine iſto הוא deſignari viderur.

#### §. V.

Hîc præterire non poſſumus, quod obſervarunt viri quidam

quidam Doctissimi , הוּא apud Kabbalæ Magistros unum  
 esse ex Dei nominibus propriis . undè Rabbi *Menahem*  
*Rakenatensis* in *Legem* ait ; אני והוא הם שני שמות שיש  
 לשיכנה Ego & Ille sunt duo nomina quæ tribuuntur Deo . si-  
 ve *Majestati divinae* . Quinimò sunt qui tres SS. *Trinitatis*  
*personas* indigitatas volunt tribus pronominum personis .  
 ita ut אני Ego notet primam personam , אתה Tu secun-  
 dam , & הוא Ille vel ipse tertiam . Quicquid sit , הוּא cer-  
 tè nomen esse divinum , ex variis *Scripturæ* locis proba-  
 re instituunt *Galatinus de Arcanis Cathol.* Verit. Lib. 2.  
 cap. 23. & *Capnio sive Reuchlin.* de Verb. Mirif. Lib. 2.  
 cap. 16. E. G. ex *Esa.* 42. & *Zach.* 9. Idem etiam alii pro-  
 bant ex *Es.* 51. & 53. & *Pf.* 24. ubi illud הוּא bis reperi-  
 tur in ultimo versu : item *Pf.* 102. 28. ואתה הוּא & tu es  
 ipse : Sic *Pf.* 103. 14. כי הוּא ידע יצרנו quia ipse cognovit fig-  
 nentum nostrum . Ipse sanè *Apostolus Heb.* 1. 12. illud ex  
*Pf.* 102. 26. reddit : οὐδὲ εἶ οὐ αὐτός , ubi *Syrus* habet  
 הוּא : *Persæ* etiam & *Orientalis* הוּא Deum vocant .  
 quod est ipsissimum *Arabicum* הוּא *Huvva* Ille , ipse , &  
*Hebræum* הוּא : unde tritum illud *Arabum* : לא אלה  
 והוּא אלה אלה והוּא Non est Deus , nisi Deus , nempè Ille : Hinc  
 & *Græci* Deum vocant τὸ ταυτὸν , αὐτὸν vel αὐτὸ τὸ ὄν .  
 Alii etiam putant , nomen istud הוּא magis proprium esse  
*Filii* vel *Patris* : quia illud אני הוּא quod occurrit apud  
*Esa.* cap. 41. 43. 48. & à LXX. Interpretibus redditur :  
 Ἐγὼ εἰμι Ego sum : in N. T. de ipso *Christo* usurpatur : *Joh.*  
 8 : 24. & v. 28. & *Joh.* 13. 19. Quin & ipsa significatio  
 pronominis הוּא idem suadere videtur : est enim pro-  
 nomen demonstrativum , quod convenit ei qui digito  
 quasi potest demonstrari & dici : Hic est , ille est , ipse est ,  
 qui toties promissus , prædictus , præfiguratus & exspe-  
 ctatus fuit ; ita ut phrasis illa אני הוּא descriptionem Dei  
 aliquo



aliquo modo perfectam efficere videatur, atque idem significare quod יהוה: Significat enim, eum esse Deum nostrum in Christo Filio suo: quod imprudentes etiam agnoscunt Judæi, dum ut negent, Jesum esse Christum, eum non vocant ישוע sed ישו dempto y: hoc autem nihil aliud esse videtur quam יהוה ישו est ipse, ita ut dum eum Messiam negare volunt, eo ipso tamen Filium illum Dei esse fateantur. Ita ως ἐν παράδεισῳ vidimus, quæ possit esse εὐφρασις in pronomine יהוה ad significandum ipsum Messiam, quem tanquam *Prophetam Zacharias futurum Templi Mystici Architectum* discretè prædixit.

§. VI.

Quamvis Deus pro sua *immensitate* nulli loco sit inclusus 1. Reg. 8: 27. nec pro essentia sua *spirituali & infinita* habitet in templis manufactis Act. 17: 24. Sed ubique in toto mundo obvius vel palpando inveniri queat, Act. 17: 27. ibique à veris adoratoribus, qui ipsum in spiritu adorant, adorari Joh 4: 24. voluit tamen Numen sanctissimum, in V. T. esse certa loca, quibus cultus divinus ex Lege Ceremoniali debebat esse alligatus: nec mysterio carebat, quoties Deus olim sub V. T. divinam suam præsentiam vel in *tabernaculo* primo vel in *templo* deinde manifestabat. *Tabernaculi* jussu Dei exstructi mysterium innuit Apostolus Hebr. 8: 5. quando illud *exemplar & umbram* sive delineationem quandam rudiores rerum *caelestium* h. e. rerum ad Messiam & ad N. T. spectantium vocavit, aptissimè verò totum illud explicant Theologi, quando cum *Christum* ipsum tum *Ecclesiam* totâ illâ tabernaculi structurâ adumbratam fuisse ostendunt. Vid. Burm. Synops. Theol. t. 1. Lib. IV. cap. 13. 14.

VII.

Huic *Tabernaculo* mysterii pleno, quod jussu Dei exstru-

struxerat Moses Exod. 25. & seqq. capp. aliud etiam ejusdem Dei jussu *Templum* successit, illudque duplex; aliud nempe quod *primum* fuit, à *Salomone* exstructum & à Chaldæis vastatum, cum Babylonem captivos abducerent Judæos. 2. Reg. 25. Jerem. 52. aliud autem quod fuit *Templum secundum*, solutâ captivitate exstrui captum permissu *Cyri* Persarum Regis, auspiciis *Nehemia*, *Jehosua* ac *Sorobabelis*, ἐργασίας τῶν, undè *Templum* hoc *Sorobabelianum* dictum, quod ipsum tamen etiam à Romanis tandem abolitum fuit. De utriusque hujus *Templi* fabrica ac structura mysterii quoque plenissima videri possunt, qui de utriusque hujus *templi* structura & mysterio expresso scripserunt; De neutro eorum vaticinatus est *Zacharias*, quando *Templum Jehovæ* à Viro *Germine* h. e. à *Messia* ædificandum prædixit: Sed *Templum* intellexit utroque illo *Salomonis* & *Sorobabelis* *Templo* longè illustrius atque augustius

#### VIII.

Non equidem negamus, majorem etiam *Templi* illius posterioris à *Sorobabele* ædificandi gloriam promitti Hagg. 2. 9. sed minorem tamen alio respectu futuram fuisse ejusdem gloriam ibidem docemur Hagg. 2. v. 3. Quinque fuisse dicuntur in *Templo primo Salomonis*, quæ defuisse volunt in *Templo secundo*, ut sunt 1. *Arca cum Cherubim*. 2. *Ignis cælestis*. 3. *Majestas divina*. 4. *Spiritus Sanctus* sive *Prophetia*. 5. *Urim & Thummim*: hujusque defectus *Symbolum* quærunt in deficiente litera ך̄ finali in voce אבנך Hagg. 1. 8. Sed nos hæc omnia suo relinquentes loco hoc saltem pertendimus, quòd major illa *domus secunda gloria* non in eo tantum fuerit, quòd tempus durationis illius integro decennio majus fuerit, ut volunt *Judæi*: sed in eo potius, quòd loco umbrarum prioris

B

tem.

templi in æde posteriore appariturus esset ipse Messias  
templi Dominus, qui omnem ejus sanctitatem imple-  
turus & consummaturus erat. Mal. 3. 1.

I X.

Sed cum Zacharias de *Templo* loquatur ædificando à  
Messia *Viro-Germine*, quæritur an intelligendum sit  
*Templum* aliquod *materiale tertium* à duobus illis *Salomo-  
nao & Sorobabeliano* distinctum, in quod vel ingressurus  
erat Messias, vel quod à Messia juxta formam illam Eze-  
chieli in visione manifestatam fuerit ædificandum? Ita  
sanè *Templum* aliquod *tertium* à *Salomonis* illo & *Sorobaba-  
lis* distinctum concedunt nonnulli, quale est *Herodianum*  
apud Josephum Antiq. Jud. Lib. XV. c. 14, quod tamen  
à *Sorobabelis* illo non aliter distinguunt Judæorum pleri-  
que, quàm quòd *Herodianum* illud amplius & splendidius  
redditum fuerit: hinc præter illud aliud adhuc & splen-  
didius *Templum tertium* à Messia ædificandum expectant  
Judæi, quod ideò vocant בית שלישי *Domum tertiam*, eò  
quòd idem numerus ex חיל יתות *ter* repetito Jerem.  
7. 4. exurgat: atque de hoc *Templo tertio* intelligunt Eze-  
chielis illud de *Templo* vaticinium, quod ita à Messia ædi-  
ficandum, ut tertium hoc non amplius destruendum,  
sed in æternum permanens statuatur: שלישי יעמוד עד  
כל עול *Tertium permanebit in seculum.*

X.

Nos quidem fatemur. Prophetarum vaticinia intel-  
ligenda esse de *Templo* aliquo, quod à primo illo *Salomonis*  
& à secundo *Sorobabelis* cura *Herodis* restaurato distinctum  
fuerit: sed negamus istud futurum fuisse *materiale*; unde  
facile judicare est, quæ nostra sit sententia de duobus illis  
*Templis* æmulis sequiori tempore exstructis, *Samaritano*  
scilicet illo & *Ægyptio*, hæc enim non prædicta, sed ci-  
tra Dei jussu & contra ejus voluntatem exstructa pertinen-

dimus. *Samaritanum* quippè extructum fuit à *Manasse* fratre Jaddi Pontificis, qui cum alienam duxisset uxorem contra Legem Lev. 21. 14. 15. ad socerum suum Sanaballat confugit ejusque auxiliū imploravit. Sanaballat autem ne genero suam nobilitatis viro spoliaretur, suavit ut à Judæis deficeret: quo facto permissu Alexandri *M. Templum Samaritanum* condidit in monte Garizim, ibiq; *Manassem* inter *Samaritanos* Pontificem collocavit: undè hoc *Templum transgressorum* dictum, quia Samaritani homines erant ex Assyria profecti, qui cum Lege Dei Judaica veterem idolorum cultum conjungebant; hinc maximum illud inter *Judeos & Samaritanos odium*. Cùm autem *Templum* istud Samaritanum annis jam trecentis & viginti novem ante Christum natum juxta quorundam calculum ædificatum fuerit, & contaminatum ab *Antiocho Epiphane*, qui, cùm in Judæam venisset infestus, Jovi Hospitali ipsis Samaritanis non refragantibus illud consecravit, & cùm etiam eversum tandem illud fuerit à *Johanne Hyrcano* Judæorū Rege, cùm *Samaritam* Judæorum imperio subjecisset, cùm denique nonnisi ducentos años steterit *Templum* istud à prima sua origine, teste Josepho Ant. Jud. lib. XIII. *Templum* istud non potuit esse illud, quod juxta Prophetas à Messia erat ædificandum: nobis autem Christianis invicto potest esse argumento improbatum à Christo Samaritanorum cultus & probatus ab eodem cultus Judæorum. Joh. 4. 22.

§. XI.

Idem est nostrum judicium de altero illo Judæorum *Templo*, quod in *Ægypto* conditum ab Onia, quod ideo à loco *Ægyptium* dictum, ab authore verò בית חוני Beth Chonio (quomodo legere malim quàm Beth Chonaf cum Talmudicis & Cl. Buxtorfio in Lex. Talm. p. 794.) *Templum Onia*, Græcè Ονειον, quod nomen magnam habet

cum voce Græca  $\alpha\sigma\iota\upsilon\sigma$  convenientiam; quæ *asinum* notat, undè *Tanaquillus Faber* sagacissimus olim *Accademia Salmuriensis Criticus* ortam existimavit fabulam an calumniam dicam Gentilium de adorato à Judæis in templi adyto *Capite Asinino*, vid. *Joseph. contra Apion. lib. 2.* Sunt tamen & aliæ de hujus calumniæ origine conjecturæ; *Celeb. Heinsius* in festivissimo libello, quem scripsit de *Laude Asini* duas earum affert; nam 1. suspicatur, Græcos cum legissent, nihil à Judæis adorari præter  $\alpha\sigma\iota\upsilon\sigma$  (quomodò expeditè & per abbreviaturam  $\alpha\sigma\iota\upsilon\sigma$  notare solent) ex hac  $\alpha\sigma\iota\upsilon\sigma$  sive ignaros, sive, ut erant hominum ingenia, festivitatis & ridiculi causâ fecisse. 2. Idem imitatos postea censer Romanos, qui, cum cælum (h. e.  $\hebrew{שמים}$ ) à Judæis coli intelligerent, ex eo *Cillum* fecerint, quâ voce Italiae vicini *Dores* pro *Asino* uti solent.

S. XII.

Duplex alia est conjectura *Celeb. Bocharti* in *Hieroz. p. m. 226.* nam 1. cum veri Dei epitheton sit  $\text{ברך}$  *Badad*, *Solus Deut. 31. 13.* & *Onagri בודד Boded Solitarius* *Hof. 8. 9.* & verò voces istæ sint & sono & scriptura valde similes, *Bocharto* iudice in allusione quæri potuit à profanis & malevolis calumniandi ansa. 2. Vel ex *Ægyptiaca* Lingua fabulæ originem repetit vir *Judiciosissimus*, cum ipse etiam *Apion* fabulæ architectus *Ægyptius* fuerit; *In Ægyptia enim Lingua*, scribit *Bochartus*, cum  $\text{ΠΙΕΩ}$  sit  $\alpha\sigma\iota\upsilon\sigma$  *asinus*, videntur impuri homines ad *asinum* traxisse (horresco referens) quod in *Scriptura* tam frequens est  $\text{פִּי-יוֹהוּ}$  *Pijao*, ut quandoque in uno versu bis vel ter repetatur; exempla vide *Num. 9. v. 18. 20. 23.*

— Quocirca cum *Ægyptii* vel in *Scripturis nostris* legerent, vel à *Judæis*, qui in *Ægypto* frequentes erant, sapè audirent, *Sacerdotem*

tem in loco sancto Pi-Jao vel Pi-Je vo, id est, os Domini consuluisse, & Pi-Jao dixisse vel edixisse, & aliquid evenisse, prout praedixerat Pi-Jao, absurde & impie finxerunt, Pico, id est, Asinum à Judæis coli & pro Deo haberi. Hactenus ille. Verùm quid si nos conjiciamus, inde forsitan originem duxisse fabulam, quòd inter alia quæ in templi adyto recondita fuerunt, etiam fuerit *Urna manna*: at verò eodem vocabulo & *Urna* & *Asinus* dicitur in Hebræa Lingua, nec nisi solis apicibus discriminantur; *Urna* enim חמר *Chomer*, *Asinus* autem חמר *Chamor* dicitur, quæ puncta sæpius inter se commutantur, undè 1. Sam. 16. v. 20. לחמר חמר alii *asinum onustum pane*, alii חמר *Chomer* sive *acervum panis* interpretantur; utramque interpretationem conjunxit Editio Complutensis τῶν LXX; Et accepit Jesse ὄνον *asinum*, & imposuit ei γόμορ ἀπτεῶν *chomer panum*; Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ ex occasione Templi Ægyptii ab *Onia* ædificati.

### S. XIII.

Fuit hic *Onias* filius *Oniæ* Pontificis, quem Epiphanes interfecerat: ita enim *Onias* ille filius aetate Antiochi Epiphanis seditione Hierosolymis orta ab urbe profugus ad Ptolomæum Ægypti Regem & ipsius Epiphanis hostem se contulit, & accepto ab eo in Hieropolitana præfectura solo oppidum ibi Hierosolymis simile condidit *Templumque* ædificavit, anno ut nonnulli volunt, ante Christum natum centesimo sexagesimo nono, ibique tanquam Pontifex præfuit inter eos Judæos, qui in seditione ista urbe pulsati in Ægyptum concesserant: Ad hos Judæos Ægyptios existat Epistola Judæorum Hierosolymitanorum 2. Macchab. 1. petentium, ut festum dedicationis templi sui quemadmodum alia celebrarent. Verùm hoc ipsum *Templum Ægyptiacum* non nisi trecentos

& triginta annos juxta quorundam supputationem subsistebat: Quo enim tempore Titus Cæsar *Templum Hierosolymis* inflammavit, eodem quoque *Ægyptiacum* illud à Paulino Ægypti Proconsule claudi jussum est, teste Josepho de Bello Jud. Lib. VII. ita ut vestigium divini cultus in eo nullam appareret. Sunt qui duplex faciunt *Templum Ægyptiacum*, & utrumque ab *Onia* quodam extructum statuunt prætextu oraculi Esa. XIX. 19. Unum nempe ab *Onia Simeonis Justii filio minore* in præfectura Heliopolitana, quæ quia sub Alexandria erat, *Templum* hoc aliquando *Alexandrinum* vocatur. Alterum verò ab *Onia filio Onia tertii Pontificis M.* sub Antiocho Epiphane & Philometore *Leontopoli*. Prius juxta Clar. Burmannum stetit annis 343. tandemque sub Vespasiano clausum fuit, Posterius autem stetit annis ducentis.

§. XIV.

Ita ergò Eventus docuit, nec *Samaritanum* illud nec *Ægyptiacum* istud esse templum illud à Prophetis prædictum & à Messia ædificandum: Adde quòd ipsi aliquando fateantur Judæi, *Templum* illud ( *מִתְיָר* futurum uti vocant ) non fore *materiale*, nec tale in quo eadem peragenda sint ceremoniæ, quæ olim in usu fuerunt, sed expectandum esse templum *רוּחַנִי* *Spirituale* & *כּוֹתֵלֵי רוּחַנִי* *parietes spirituales*: undè multa quoque de *Templo isto futuro*, à Prophetis prædicata atque prædicta videmus, quæ non nisi spiritualiter & mysticè intelligi possunt, aliàs enim multa Prophetarum dicta vel cum ipsa Lege Mosis vel cum aliis aliorum Prophetarum vaticiniis adversa fronte pugnarent. E. G. Quæ Malach. I. 11. & Esa. XIX. 19. dicit Deus, pugnantis videntur cum Lege Mosis Deut. XII. 14. *In eo loco quem elegerit Jehova, in aliqua tribuum tuarum, ibi offeris holocausta tua, & ibi faci-*

so, quacunq̄ue ego precipio tibi: undè satis pater. Malachiaë & Esajæ verba, ut omnia convenient, spiritualement contine-  
nere sensum: Ita cum Esa. 61. 6. Deus promiscuè Israelita  
alloquitur: Vos verò sacerdotes Jehovæ vocabimini, ministri  
Dei nostri dicemini: & verò Exod. cap. 28. & 29. sola Aha-  
ronis posteritas ad sacerdotale munus consecratur. quid  
aliud designatur, quàm Esajæ verba ulterius respicere, ne  
præcepto Legis adversari comperiantur: ita multa de  
futura Templi structura vaticinatus est Ezechiel, ex quibus  
spiritualiter ea esse intelligenda manifestum est.

§. XV.

Frustra ergò & mendaci spe Templum aliquod mate-  
riale tertium juxta Ezechielis typum sub Messia Rege ædi-  
ficandum exspectant Judæi, cum Templum secundum stare  
adhuc debuerit veniente Messia & hic ipse in illud ingres-  
sus fuerit juxta prophetiam Haggæi cap. 2. 8. adde quòd  
utrumque istud Templum, nempe primum illud Salomonis  
& secundum hoc Serobabelis ab Herode renovatum typicum  
omnino fuerit, & in figura totum illud templi spiritualis à  
Messia ædificandi mysterium adumbraverit, non minus  
sanè quàm ipsum Tabernaculum, quod cum utroque Templo  
multis modis & Christum ipsum & Ecclesiam repræsentasse  
docent Theologi. Id sanè agnoscere atque adeò divinam  
Tabernaculi & utriusque Templi Judaici originem & insti-  
tutionem planè divinam eum in finem factam admittere  
malimus, quàm juxta periculosam Doctissimi Spenceri  
hypothesin statuere, Templum & omnem illum ceremoniarum  
Judaicarum cultum à ruditate Gentium & ab antiqua  
prisca seculi consuetudine suam traxisse originem. Sed de  
hac controversia, qui plura velit, adire poterit ipsum  
Spencerum Lib. 3. Dissert. VI. & eos qui cum eo congressi  
sunt.

§. XVI.



§. XVI.

*Templum ergò spirituale*, quod à Messia ædificandum prædixit Propheta Zacharias, est ipsa Dei *Ecclesia*; hoc ipsi aliquando Judæi fatentur, quando præcipuum *Templum* dicunt esse *homines pios*; Nobis sanè Christianis hoc est ἐξ ἀγαθῶν & extra omnem controversiam; ita enim in N. Testamento singuli aliquando *fideles* 1. Cor. 3. 16. 17. 2. Cor. 6. 16. aliquando *corpus eorum* 1. Cor. 6. 19. aliquando tota fidelium *Ecclesia Templi Dei* nomine venit 1. Cor. 3. 17. Eph. 2. 21. Est enim *domus Dei vivi* 1. Tim. 3. 16. Heb. 3. 6. Κατοικητήριον τῆ Θεῶ ἐν πνεύματι Eph. 2. 22. Hujus autem *templi architectus* est ipse *Christus*, promissus ille mundi *Messias*, qui *ædificaturus erat Ecclesiam suam* Matth. 16. 18. *Vir Germen*, ut hoc in loco Zacharias ait: Hic ipse quoque simul *fundamentum* est, cui totum hoc ædificium, quod est *Ecclesia*, superstructum & inædificatum est 1. Cor. 3. 11. est *petra* in qua & super quam *Ecclesia* erat ædificanda Matth. 16. 18. est *lapis angularis*, ita de Messia prædictum fuit Ps. 118. 22. Esa. 28: 16. & ita adimpletum legimus Eph. 2. 20. 1. Pet. 2. 4. 5. ipsi verò *fideles* sunt *lapides vivi* huic fundamento inædificati 1. Pet. 2. v. 5.

§. XVII.

Verum ergò *Templi* hujus *Mystici Architectum* dicimus esse *Messiam*, verum illum *Ecclesiæ suæ Prophetam, Sacerdotem & Regem*; nam 1. tanquam *Propheta publicâ Evangelii prædicatione & servorum suorum ministerio Ecclesiam suam ædificavit super petram*, ita ut *portæ inferorum eidem prevalere* nequeant Matth. 16 18. undè non tantùm ipse *Christus*, sed & *Apostoli ac quivisejus ministri architectis & ædificatoribus comparantur* 1. Cor. 3. v. 10. 2. tanquam *Sacerdos* in *Ecclesia Dei proprio sanguine*

guine redempta fideles tanquam templa sua sanctificat, usibus sacris dedicat, & sacro fidelium precum suffragio adolere solet, quo ejus in Ecclesia & pro Ecclesia intercessio denotatur, 3. tanquam *Rex spiritualis* thronum sibi erigit in hoc templo spirituali, h. e. in Ecclesia & in singulis Ecclesiarum membris ita cuncta moderatur ac gubernat, ut unusquisque facillè Messiam Regem suum agnoscat, cœlumque regnare Dan. 4. 16. h. e. Deum in cœlis habitantem, omniaque nunc Messiarum pedibus subiecta esse persuasus sit.

§. XVIII.

Ita ergò videmus, quo sensu per Prophetam nostrum Zachariam de *Viro Germine* pronuntiet Deus, quòd *adificaturus sit templum Jehovæ* h. e. Ecclesiam: ita sanè prophetiæ hujus complementum sibi vendicat ipse Christus Matth. 16. 18. *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: edificabo*, inquit Christus, in futuro: & ita quoque de *Viro Germine* Zacharias in textu: והוא יבנה & ipse *edificabit* templum Domini: sed ad rei certitudinem id à sapientia cœlesti jam factum declaratur Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit domum*; id ipsum quoque jam adimpletum testatur Paulus Eph. 2: 20. 21. & Petrus 1. Ep. 2. 5. sed cùm Deus ex lapsu genere humano jam inde à primo ferè mundi exordio Ecclesiam in Christo collegerit, & ita tota jam Veteris Testamenti Ecclesia huic fundamento fuerit inædificata, ipseque etiam Dei Filius fuerit Ecclesiarum illius primitivæ architectus, quæritur, cur Prophetæ Zacharias hoc demum sub Novo Testamento futurum prædixerit: והוא יבנה & ipse *edificabit*? cur item Christus Matth. 16. 18. futuri tempore usus dixerit: *ὁδοδομιῶν* *edificabo*? Respondeo, quòd equidem non nisi una eademque sit domus Dei & Ecclesia sive V. sive N. T.

ad quam proinde Patres etiam, qui ante Christum natum vixerunt, pertinebant, & tanquam lapides vivi huic fundamento fuerant inædificati. Sed tamen totius hujus domus fundamentum ponendum demum fuit in morte Christi, nisi enim Christus fuisset mortuus, nulla potuisset esse domus Dei; ita ut hac *futuri temporis* phrasi innuatur *futura Messia mors*, in qua Lapis, quem reprobarunt ædificantes, factus est in caput anguli. Adde quòd hac etiam *futuri temporis* phrasi distinctio innuatur inter Veteris & Novi Testamenti Ecclesiam, hæc enim demum sub Novo Testamento ædificanda dicitur per prædicationem Evangelii, quia eo tempore futura erat longè illustrior; ita nempe sæpè sub Novo demum Testamento *χαρισματα* salutaria conferenda dicuntur, quamvis eadem quoad substantiam quoque talia fuerint sub Veteri Testamento, quia nempe sub Novo Testamento *majori copia & majori gradu* erant conferenda.

§. XIX.

Ita vidimus *Templum Messia Spirituale*, quod est *Ecclesia*; ita vidimus *Templi illius fundamentum & architectum*, qui est *Vir Germen*, ipse Dei Filius, Mundi Messias. Modum autem Ecclesiam hanc colligendi ac propagandi *ædificandi* phrasi expressit Propheta. In Sacra autem Veteris & Novi Testamenti Scriptura *ædificandi* vox sive Hebræa *בנה* sive Græca *οικοδομειν* propriè aliquando, aliquando autem impropriè & metaphoricè sumi solet. Notior est verbi illius significatio propria, quàm ut pluribus eam hinc explicare necesse sit. Sed non minùs frequens est in Scriptura Sacra metaphorica vocis significatio, per quam transferri solet *N.* vel ad significandam *naturalem generationem ac propagationem generis humani*,

humani, undè à בנה *adificavit* oritur nomen בן *filius*: & futurum Niphal אבנה *adificabor* Gen. 16. 2. idem significat quod *filios consequar*: atque hoc etiam sensu Exod. 1. 21. Deus dicitur *adificasse domos* non obstetricum, ut communiter vellent Interpretes, præcipuè verò mendacii officiosi patroni, sed potiùs ipsorum Israelitarum, ut suadet affixum masculini generis, quod ad obstetrices referri nequit. ב. Vel *ad propagationem spiritualem Ecclesie*, qualis repræsentata jam olim fuit per miraculosam illam mulieris ex costa viri formationem Gen. 2. 22. & adumbrata per ædificationem templi materialis. & exhibita tandem per admirandos illos Ecclesie Dei in vera Dei cognitione ac pietate profectus, quos insignis illa per verum architectum Christum institutio promovebat: atque hinc frequentissimum illud in Ecclesia Dei *adificandi* vocabulum.

## XX.

Talis ergò hinc intelligenda *Ecclesia edificatio*, qualis fit per prædicationem Evangelii, in qua & per quam tale resonat verbi divini præconium, ex quo tanquam ex semine spirituali Ecclesia propagatur: & ita vox ista aliquando etiam verum in fide & pietate profectum notat, & majus in cognitione Dei & virtutibus Christianis incrementum. Ita eo ipso, quo *Templum Spirituale Jehova* h. e. Ecclesiam *adificaturus* erat Messias, verum se Ecclesie suæ *Prophetam* ostendere debuit: Hinc ergò primum illud officium *Messie Propheticum* elucescit, per quod ipse Dei Filius, magnus ille Mundi Propheta *Ecclesiam suam docet, doctrinam suam miraculis confirmat, futura prædicit & electos solatur*. Talem eum futurum esse *Prophetam*, Moses prædixit Deut. 18. 18. *Prophetam excitabo ex medio fratrum*

tuorum sicut te : quod vaticinium in Christo Jesu adimpletum docuit Stephanus Act. 7. 37. undè in V. T. titulus *Doctoris* Joel. 2. 23. *Consiliarij* Esa. 9. 5. *Testis, principis ac praeceptoris nationum* Esa. 55. 4. in Novo autem Testamento expresse *Propheta* vocatur Joh. 6: 14. & Luc. 24. 19. Talis tamen non tantùm fuit sub Novo Testamento, sed etiam tempore promissionis & sub Veteri Testamento: *Idem enim est heri, hodie & in secula* Hebr. 13. v. 8. undè jam olim dicitur fuisse *חַמְדָּבֵר* *Loquens*, qui loquebatur & qui locuturus erat Esa. 52. 6. *מְלִיץ* *Interpres* Job. 33: 23. & *Spiritus, qui in Prophetis erat*, dicitur fuisse *Spiritus Christi* 1. Pet. 1. 11. & 3. v. 18. 19.

S. XXI.

Pessimè ergò *Sociniani* Jesum Christum *Novi tantùm Testamenti Prophetam* fabulantur, doctrinamque in *Evangelio* traditam planè aliam statuunt à doctrina *Legis*, quippè haustam demum ex divino illo ac coelesti contubernio in Academia coelesti, in quam raptus fuerit Christus post acceptum in terra Baptismum. Verùm hanc fabulam nullo solido argumento nixam recitasse refutasse est. Fatemur tamen, quòd hoc officio suo *prophetico* præprimis fungi debuerit *Messias* & eo functus fuerit sub Novo Testamento, quando venit in Galilæam prædicans *Evangelium Regni Dei* Marc. 1. 14. *Matth.* 4. 12. 17. *Luc.* 24. 19. illudque postea mediante *Apostolorum* præconio per totum universum propagandum curavit. *adificaturus* hac ratione *Templum Jehova* h. est. *Ecclesiam*. Sed ita tamen etiam hoc munere tunc functus fuit, ut *Legem Moralem* olim traditam nec *abrogaverit*, nec *correxerit*, nec *auxerit*, nec novum proposuerit *operum fœdus*, nec nova majoris perfectionis *Consilia Evangelica*, qualia hîc statuunt *Sociniani, Remonstrantes & Pontificii, &c.*

*Doctrina*

*Doctrina* quidem, quam tanquam summus Mundi *Propheta* proposuit *Messias* sanctissima fuit ac verè divina, eamque miraculis etiam, veris quidem illis ac revera divinis, probavit, & sanctissimo vitæ ac mortis exemplo confirmavit: non alia tamen fuit à doctrina illa salutaris, quam Deus olim populo suo indè à primis Patriarcharum temporibus usque ad *Messia* adventum revelavit.

§. XXII.

*Modus* etiam, quo hoc suo officio *Prophético* functus fuit *Messias* in ædificanda Ecclesia, verè divinus fuit & omnibus numeris absolutus: Fecit enim id *a. Externè* per verbum prædicatum, & quidem partim *immediatè* per seipsum toto ministerii sui curriculo, quod in terris obiit, partim *mediatè* per ministros suos, quos sub utroque Testamento adhibuit *extraordinarios & ordinarios*. *β. Internè* & *doctores & auditores* omnes per Spiritum Sanctum deducendo in omnem veritatem Joh. 16. 13. majoremque concedendo Spiritus mensuram pro diversa Ecclesie ætate & œconomia, ita ut jam omnes sint *διδασκαλοι* τῆς Θείας Joh. 16. 45. juxta vaticinium Esajæ, 54. 13. *γ. Prudenter* adhibitis familiaribus parabolis, ut videre est Matth. 13. *δ. Liberè* & citra *προσωποληψίαν* Matth. 22. 16. *ε. Efficaciter*, ita ut nemo potuerit ejus sapientiæ resistere Matth. 21. v. 25. 27. & Matth. 22. v. 19. 22. 26. 32. 33. 34. nec mirum, *docebat enim, ut habens auctoritatem, non autem ut Scriba* Matth. 7: 29. *ζ. Eloquenter* admodum & cum zelo maximo: ita ut nunquam ita locutus sit homo ut homo iste Joh. 7. 46.

§. XXIII.

Undè apparet maxima illa *Messia* *Propheta* supra omnes alios *Prophetas* *excellentiâ*, etiam supra ipsum *Mosen*, quem aliàs *Prophetarum maximum* faciunt Judæi.

3  
variaque ejus supra reliquos Véteris Testamenti prophetas privilegia ac prærogativas enarrant, prout videre est apud *Buxtorfium* in Synag. Judaic. p. 18. quas ad quatuor revocavit Majemonides, quibus duas adhuc alias addunt alii, *Miraculorum* nempe *magnitudinem & multitudinem, fidelitatem* item *in tota Dei domo*, de qua etiam Apostolus Hebr. 3. 5. Verùm in his omnibus *Mose* major *Propheta* debuit esse & reverà fuit *Messias*, undè sex illis privilegiis totidem antitheses opponunt hinc indè Evangelistæ & Apostoli in Novo Testamento, ut *Jesum Christum majorem Mose prophetam* fuisse ostendant. Hinc præsentè Christo cessabant *Propheta*, & quamvis in transfiguratione cum Christo collocuti fuerint *Moses & Elias*, solus tamen *Dei Filius* dicitur *audiendus* Matth. 17. 5.

§. XXIV.

8  
3  
Maximam hancce *Messia* *Propheta* *gloriam* sine dubio quoque nobis indicare voluit Vates *Ἰερόπρεως* ☉, cùm post prædictam *Templi spiritualis edificationem* immediatè statim subjunxit: *והוא ישא הדר* Quocunque enim modo hæc verba interpretemur, maximam *Messia* *exaltati gloriam* & gloriosam triplicis muneris functionem indigitare videntur. De futuro *Messia*, non autem de ipso *Jehosua* coronas capiti impositas gestante sermonem hîc esse. docet repetitio emphatica vocis *והוא* & ipse, aliàs in secunda persona locutus fuisset: *ואתה* & tu &c. Verbum *ישא* quod est à *נשא* varias in Scriptura significationes habet: cùm de prædicatione sermo est, idem aliquando significat, quod *proferre, pronuntiare*: hinc in tertio præcepto Exod. 20. v. 7. *לֹא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא* Non feres h. e. non pronuntiabis *nomen Jehove Dei tui temerè*, non nominabis eum Deum tuum temerè, neque temerè testem eum invocabis: hinc nomen *משא* *prophetis*

phetis sæpè usitatum *sententiam* vel *prophetiam* notat ex-  
terno sermone vel ore prolatam : atque hoc sanè sensu  
*gloriosa* hîc *muneris prophetici administratio* indigitari pos-  
set : ita sanè ad Messiaë exaltati & summi nostri Prophetæ  
gloriam retulit Apostolus, quòd post suam supra omnes  
cælos ascensionem Christus *dederit alios quidem Apostolos,*  
*alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pa-*  
*stores & Doctores, ad compactionem sanctorum, ad opus mini-*  
*sterii, ad adificationem corporis Christi* Eph. 4: 11. 12.

§. XXV.


Sed usitatatior tamen est alia verbi נשא significa-  
tio, qua idem significat, quod *ferre, accipere* : & ita hæc  
verba הורא ישא הורא h. e. & ipse inde *reportabit* vel *accipiet*  
*honorem, gloriam, decus,* intelligi possunt de gloriosa il-  
la Messiaë exaltatione vel de summa illa gloria quam  
consecutus erat per ædificationem templi spiritualis  
mystici, ita sanè verba Prophetæ explicare docent vi-  
ginti quatuor Seniores in Apocalypsi cap. 4. v. 11. accla-  
mantes ei, qui throno insidebat : *Dignus es Domine, qui*  
*accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu condidisti*  
*omnia, &c.* הור ( pro quo Chaldaëus habet הור *arma,* for-  
tè voluit dicere הור quæ vox *splendorem* notat : sunt ta-  
men qui voce הור *coronulas* etiam & *literarum apices* desi-  
gnari volunt ) non malè nonnullis derivari videtur ab  
הורא *fassus fuit,* ita ut sit claritas & evidentiã virtutis ac  
vigoris rei exprimens decentiæ & veri nominis confes-  
sionem : hinc de Deo usurpata *Majestatem* notat ac tan-  
tam claritatem, per quam omnes coguntur fateri eum  
Deum esse, ut Ps. 145. 5. הור כבוד הור *decus* vel *reveren-*  
*tia gloria majestatis tuæ* : hinc הור כלכותה est *majestas*  
*regni* clarissimo testimonio declarata. Hæc ergò est *ma-*  
*gnificentiã corona* imponenda capiti Messiaë, & quã deco-  
randus




randus erat Messias in exaltatione sua. Hanc *majestatem & gloriam* Zacharias hic cum secunda Templi spiritualis ædificatione conjunxit: והוא יבנה את היכל יהוה והוא ישא הדר  
& ipse ædificabit Templum Jehova, & ipse accipiet gloriam & majestatem: Equidem in prima jam Templi mystici ædificatione gloriam & majestatem suam declaravit Messias, quando sermo caro factus fuit נאִי יֵשׁוּעַוֹשֶׁב עִי נִיבֵן & commoratus est inter nos tanquam in tabernaculo, tunc enim spectavimus gloriam ejus tanquam gloriam unigeniti à Patre Joh. 1. 14. Sed quia hic Zacharias acceptionem *majestatis & gloria* conjungit cum posteriore illa ædificatione templi mystici, intelligenda videtur talis exaltatio & gloria, quæ secuta est exinanitionem & constructionem templi mystici, cujus fundamentum posuit per passiones & mortem: Ita enim *destructio templi corporis Christi* fuit extructio & ædificatio templi Dei h. e. Ecclesiæ: ita *readificatio templi* h. e. Corporis Christi resuscitatio primus gradus fuit illius exaltationis & gloriæ, qua *declaratus est Filius Dei in potentia* Rom. 1. 4. per *ascensionem* autem suam in Cælum & gloriosam *sessionem ad dextram Patris* Filius hominis à Deo humiliatus *gloria & honore* coronandus erat Psal. 8. 6. & ita triplici suo munere gloriosè functurus in cœlo, quam triplicis muneris gloriam contemplatus quoq; fuit Esajas in illustri illa visione Prophetica Cap. 6. Verùm hæc de gloriosa *muneris prophetici* functione observasse sufficiat: de gloriosa autem *muneris sacerdotalis & Regij* functione quæ sequuntur proximæ Disputationi reservamus: Huic autem Messia *Propheta, Sacerdoti & Regi* sic laus, honos & gloria in sæcula. Amen.

F I N I S.
























the scale towards document

m, quam tanquam summus Mundi Pro-  
phetas Messias sanctissima fuit ac verè divina,  
et aliter etiam, veris quidem illis ac revera di-  
vina, & sanctissimo vitæ ac mortis exemplo  
non alia tamen fuit à doctrina illa salutari.  
In populo suo indè à primis Patriarcha-  
is usque ad Messiaë adventum revelavit.

§. XXII.

Am, quo hoc suo officio Prophetico functus  
ædificanda Ecclesia, verè divinus fuit &  
omnibus rebus absolutus; Fecit enim id a. Externè per  
sermonem, & quidem partim immediatè per  
ministerii sui curriculo, quod in terris obi-  
ditur per ministros suos, quos sub utroque  
habuit *extraordinarios & ordinarios*. ß. In-  
terpres & auditores omnes per Spiritum Sanctum  
omnem veritatem Joh. 16. 13. majorem-  
modo Spiritus mensuram pro diversa Eccle-  
sionomia, ita ut jam omnes sint *διδακτοί*  
45. juxta vaticinium Esajæ, 54. 13. γ. *Prin-*  
cipalibus familiaribus parabolis, ut videre est  
in *ἐπιπέδω* & citra *προσωποληψίαν* Matth. 22. 16.  
ut nemo potuerit ejus sapientiæ resiste-  
re Matth. 22. 27. & Matth. 22. v. 19. 22. 26. 32. 33. 34.  
habebat enim, ut habens auctoritatem, non au-  
ditur Matth. 7: 29 ζ. *Eloquenter admodum &*  
ita ut nunquam ita locutus sit homo ut  
Matth. 23. 46.

§. XXIII.

Am, quæret maxima illa Messiaë Prophetæ supra  
omnes prophetas excellentia, etiam supra ipsum  
Christum, hæc *Prophetarum maximum* faciunt Judæi.

C 3

varia-